



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Jus Canonicvm R.P. Pavli Laymanni, Soc: Jesu Theologi, Et  
Olim In Alma Et Episcopali Academia Dilingana SS.  
Canonum Ordinarii Professoris**

**Laymann, Paul**

**Dilingæ, 1666**

Capitvlvm X. Si is, cui.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62559](#)

verò dicendum esset, si Papa alicui canoniam ipmet conserret, atque insuper mandaret Canonicis v.g. aut Officiali Episcopi, ut proximè vacaturam præbendam ipsi assignari ficeret, vti bene monet Gl. in cit. c. si cui, Garcias cit. p. 6. §. 3. n. 305. Nam hoc casu gratia est facta à Papa, & executio alteri demandata. Accedit, quod fortasse c. illud in materia beneficiali, quæ ob fraudis periculum valde odiosa strætissimi iuris esse solet, specialiter constitutum fuerit, ideoque ad alios casus transferri non possit, vti Suarez annotauit cit. c. 31. n. 14. Alter verò sed mihi conuenienter texui cit. c. explicant Sanchez loco cit. num. 87. & alij apud Garciam num. 302.

## CAPITVLVM X.

Si is, cui.

## PARAPHRASIS.

Episcopo, vel Abbatii, nomine proprio non expresso, à Sede Apostolica causa delegata erat: is eam subdelegavit non in totum, sed reseruatā sibi sententiā: Cùm autem subdelegatus in causa procederet, interim subdelegans Episcopus, vel Abbas excommunicationem incurrit, aut vitâ excedit: hoc casu si accidat, vt à subdelegati sententia appelletur, ad primum delegantem deferenda est appellatio; ne si diutius expectandum sit, donec absolutio conferatur, vel alius Prelatus substituatur, causa expeditio cum partium damno nimis prorogetur.

## S V M M A R I V M.

1. Propter longinquam absentiā delegati, eo intermissō, appellari potest à subdelegato ad delegantem.
2. Si Episcopus, cui à Papa intuitu dignitatis causa demandata fuit, tempore date literarum in viuis fuit, moriū autem est ante presentationem, substitutus eam exequi potest.

**N**O T A N D V M Vn. Licet ordinariè à subdelegato, cui causa non tota commis- sa erat, appellandum sit ad subdelegantem, & eo mortuo, ad successorē eius in dignitate, (si delegatio intuitu dignitatis facta fuit) vti constat ex c. cl. 18. & c. super qua- stionum, 27. §. porro, extrà hoc tit. limitari tamen id debet; Nisi exinde partibus litigantibus dispendium generari possit, quia causa nimis diu protraheretur. Etenim contra iuris communis tenorem, quædam spe- cialiter constitui ad vitandum præiudicium litigantium, vel aliorum, monet Gl. h̄c ex c. Abbate, 3, de sent. & re iudic. in 6. Quare ea- dem ratione docent h̄c Ioan. Andr. n. 1. & Anchranus not. 4. Propter longinquam ab- sentiā delegati, eo intermissō, appellari posse à subdelegato ad delegantem. Longinquā, inquam: nam si modicum, aut tolerabile sit impedimentum cause protrahendæ, non id- eo à communī iure recedendum erit. Quare etiam in causa huius c. si mox absoluū con- ferenda erit delegato, aut post breve tempus successor cum iurisdictione instituēdus sum ad eum, non ad primum delegantem appellatio deuolui debet, vti Anchranus & Dominicus h̄c admonent, post Gl. h̄c ver. durante.

QVÆRVNT hic Lapus, & Dominicus, Si 2 Episcopus, cui à Sede Apostolica intuitu dignitatis causa delegata erat, tempore datae literarum in viuis fuit, sed mortuus ante præsentationem, vtrum exequi possit substitutus. Et rectè respondent, quod possit: Quia rescripta Apostolica, perinde vt leges, vim ac valorem aliquem consequuntur ipsa expeditione, tametsi nondum cognita, vel acceptata sint, vti suprà etiam dictum.

## CAPITVLUM XI.

Ab arbitris.

## S V M M A R I V M.

Ab arbitris iuris ad Papam appellandum est, à voluntariis absolute appellari non potest, sed supplicari.

Qqqq Si